UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De superfluo mulierum ornatu, §. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

prohibetur, intelligendus, inquam, in publico. Nec tamen, ſi id in publico fiat ſine ſcandalo (quod tamen, vix, hac noſtra ætate, quando res ſuo pondere jam expenſæ, vel ipſo populo notæ ſunt, poſſe eſſe puto) peccaretur: talis enim Canon in uſu non eſt.

§. 3.

De ſuperfluo Mulierum ornatu.

QVid de muliebri purpuriſſo, ceruſſa, & ornamentis. Reſpondeo ſi fucus ille, & cætera ornamenta vanitate afficiantur mortaliter peccaminoſa; fore culpam ſacrilegè mortalem, certum, exploratumque eſt. Si venialiter; dic illud, quod ſupra cap. 1. §. 4. diximus de accedente ad communionem, cum affectu ad peccatum veniale. Si nullam peccaminoſam redoleāt,

ut ſubinde accidit fœminis timoratis, bono fine, propter viri ſui oculos, vel juxtà ritum patriæ ſe ſe ornantibus; nulla erit culpa: quia, niſi aliud addatur; non eſt unde ea contrahi poſſit. Fateor, regulariter, vix, à veniali excuſari eas, quæ, tam anxiè, faciem dealbant (utinam eodem modo conſcientiam) ſi non ex alio capite, certè ex eo, quòd illud tempus, quod expenderunt ad ſe comendas (de quo ſcitè Poëta. Dum comuntur, dum pectuntur, annus eſt) ad animam piis virtutum actibus exornandam, vel certè ad utiliora negotia expedienda; conſumere debuiſſent.